

» tur, substantia illic est panis et vini : post verba autem  
 » Christi, corpus est et sanguis Christi. Quid autem mirum  
 » est si ea quæ verbo potuit creare, possit verbo creata  
 » convertere ? »

Sexto et septimo sæculo, S. Gregorius Magnus, anno 604 mortuus, Homilia 14 in Evangelia : « Bonus pastor pro  
 » ovibus suis animam posuit, ut in sacramento nostro cor-  
 » pus suum et sanguinem verteret et oves, quas redemerat,  
 » carnis suæ alimento satiaret. » In hypothesi adversario-  
 rum, non carnis alimento, sed carnis simulacro Christus fideles satiaret.

Præterea, idem S. Greg., Dialog. l. 3, cap. 3, refert claudum et mutum oblatum fuisse S. Agapito, pontifici Romano, qui « orationi incubuit, et missarum solemniam  
 » exorsus, sacrificium in conspectu Dei omnipotentis im-  
 » molavit; quo peracto, ab altari exiens, claudi manum  
 » tenuit, atque assistente et aspiciente populo, mox a terra  
 » in propriis gressibus erexit, cumque ei dominicum cor-  
 » pus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua  
 » soluta est. Mirati omnes flere præ gaudio cœperunt. »

Insigne aliud miraculum in Vita S. Greg. a duobus diversis auctoribus scripta, refertur : Quædam mulier a dicto S. Greg. interrogata cur jam communicatura risisset, respondit, quia de pane a se confecto eum audiisset dicentem : « Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat  
 » animam tuam. Tunc S. Greg. hæc audiens, pro incredulitate mulieris, cum tota plebe se in orationem pro-  
 » stravit, et post paululum surgens, particulam panis quam  
 » super altare posuerat, carnem factam reperit. » *Inter opera S. Greg.*, t. 4.

Hæc facta saltem evidenter probant dogma præsentiam realis et transsubstantiationis tunc universim creditum fuisse.

Octavo sæculo, S. Joannes Damascenus, anno 760 circiter defunctus, de Fide orthodoxa, l. 4, cap. 13 : « Nec  
 » vero panis et vinum Christi corporis et sanguinis figura  
 » sunt (absit), sed ipsum Domini corpus deitate donatum;  
 » cum ipse Dominus dixerit, *hoc est*, non figura corporis,

» sed *corpus meum*; neque figura sanguinis, sed *sanguis meus*. Et antea Judæis dixerat : *Nisi manducaveritis, etc.*  
 » Et paulo post : Quod si nonnulli panem vinumque corporis et sanguinis Domini antitypo, seu imagines figurave vocaverunt, velut divinus Basilius, non hoc post consecrationem dixerunt, sed antequam oblatio ipsa consecraretur vocem hanc usurparunt, consecrationem dixerunt, sed antequam sanctificaretur ipsa oblatio, sic appellantes. »

Nono sæculo, Nicephorus patriarcha Constantinopol. apud Allatium, de Perpetua consensione utriusque ecclesiæ, l. 3, cap. 15 : « Nos catholici neque imaginem, neque figuram hæc, *corpus et sanguinem* dicimus, licet symbolice conficiantur, sed ipsum Christi corpus deificatum. »

Anno 831, juxta P. Mabillon, Annal. Bened., t. 4, prodit liber Paschasii Radberti, monachi et deinde abbatis Corbeiensis, de Corpore et Sanguine Domini, in quo præsentia realis tam aperte docetur, ut quidam scriptores calvinistæ affirmare non erubuerint Paschasium certe primum fuisse novatorem qui doceret Eucharistiam simul esse figuram corporis Christi et ejusdem corporis veritatem. Ipsius tamen doctrina circa hoc punctum consentanea est testimoniis jam relatis, et nisi consensisset fidei Ecclesiæ, adversus illam undique reclamatum fuisset. Liber ejus reperitur in Bibliotheca Patrum, t. 14.

Versus finem ejusdem sæculi, apparuit liber Erigenæ, qui supposebat præsentiam realem ab omnibus admitti : statim Nicolaus I ad Carolum Calvum scripsit, postulans ut talem novatorem expelleret, *Labbe*, t. 8.

Postea ipsi Sacramentarii non negant fidem totius Ecclesiæ Romanæ tunc fuisse Christum realiter esse præsentem in Eucharistia, et ideo eam in absurditatem idololatriæ lapsam esse fidenter pronuntiant. Ergo.

Omnes norunt in primis Ecclesiæ sæculis, paganos mysterium sacræ Eucharistiæ confuse intelligentes, christianis exprobrasse quod in cœtibus suis nocturnis infantem immolarent, carnem ejus ederent ac sanguinem potarent,



sicque eos valde odiosos populo reddidisse. Constat Christianos, ex pastorum præscriptione, verum prædicti sacri mysterii sensum revelare noluisse ob incredulorum blasphemias. Porro utrumque factum in historia Ecclesiastica certissime consignatum nonne evidenter probat tunc creditum fuisse Christum aliter quam sensu figurativo in Eucharistia præsentem esse?

ARGUMENTUM QUINTUM. — *Ex præscriptione petitur.*

Qui positiva traditionis monumenta colligere, lustrare et ab objectis adversariorum vindicare non possent, præscriptionis argumento de præsentia reali Christi in Eucharistia sic facile convinceretur. Nunc, solis Sacramentariis exceptis, omnes ecclesiæ et sectæ Christianæ, in orbe universo dispersæ, catholicæ, hæreticæ, schismaticæ, Latinæ, Græcæ, Moscovitæ, Armenicæ aliæque Orientales dogma præsentiae realis admittunt; illud admittebant in decimo sexto sæculo, quando Lutherus et Calvinus prædicare cœperunt: id fatentur Sacramentarii. Imo conveniunt hanc persuasionem in nono vel decimo sæculo invasisse et tempore Berengarii fuisse universalem, ut patet ex tot sententiis quibus ille fuit percussus, donec errorem suum abjureret et resipisceret. Tota igitur difficultas est, an fides hujus dogmatis decursu temporum inœperit, an vero ab Apostolis descendat. Atqui ab Apostolis descendit; ab Apostolis enim descendit, si ipsius introductio fuerit prorsus impossibilis: atqui introductio præsentiae realis fuit omnino impossibilis. Nam 1º hic recurrunt omnes rationes quibus ostendimus suppositionem alicujus sacramenti fuisse impossibilem. 2º In ea hypothesi, omnes fideles per octo vel novem sæcula persuasum habuissent Eucharistiam esse duntaxat figuram corporis Christi, et postea omnes præsentiam realem credidissent: at evidenter repugnat omnes fideles ab una persuasionem ad fidem oppositam in materia tanti momenti sic transiisse, ut nullum talis innovationis reperiatur vestigium. 3º Supponendum est innumeros episcopos, presbyteros et monachos, qui hætenus credebant et docebant Christum non esse in

Eucharistia nisi modo figurato, doctrinam oppositam amplexos esse sine disceptatione, eamque velut a Christo descendentem, unanimi ore tradidisse: quis autem, serio reflectens, talem suppositionem admittere potest? 4º Volunt adversarii suppositionem quam fingunt in nono vel decimo sæculo contigisse, eamque Paschasio, obscuro monacho, tribuunt: sed eo tempore, Græci a Latinis jam incipiebant separari: Cophitæ, Jacobitæ, Maronitæ aliæque sectæ Orientales a plurimis sæculis erant separatæ: quomodo fieri potuit ut omnes dogma rationi impervium, antiquæ fidei contrarium et gravissimi momenti, adeo facile et universaliter admiserint, ut ne unus quidem, aut episcopus, aut doctor, imposturam detexerit vel suspicatus fuerit? Eadem recurrit ratio pro aliis retro sæculis: si una ecclesia talem produxisset innovationem, aliæ reclamassent: semper existerunt sectæ hæreticæ aut schismaticæ quæ hujus naturæ mutationem Ecclesiæ Romanæ exprobrassent. Dicendum est ergo cum Tertull., lib. de Præscriptione, cap. 28: « Ecquid verisimile est ut » tot et tantæ in unam fidem erraverint *ecclesiæ*? Nullus » inter multos eventus unus est exitus; variasse debuerat error doctrinæ ecclesiarum. Cæterum, quod apud » multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum: audeat ergo aliquis dicere illos errasse qui tradiderunt. » Vide hoc argumentum fusius expositum in exquisito opere dicto: *Perpétuité de la foi, ... défendue, ...* præsertim, l. 9, cap. 11. Vide etiam aliud opus Gallicè scriptum: *Discussion amicale, lettre VIII et suiv.*

COROLLARIUM.

Si unum ex præcedentibus argumentis seorsim sumpsum sit invictum, quantam animi convictionem omnia simul spectata producere debent! Quam inania sunt systemata et vana objecta quibus novatores veritatem tam firmiter stabilitam lacessere conantur! Præcipuæ tamen rationes quibus eis responderi potest exponendæ sunt.



*Solvuntur objectiones contra argumenta ex Scriptura sacra petita.*

*Obj. 1<sup>o</sup> contra argumentum ex promissione Eucharistiæ petitum.* In ultima parte capituli VI Evangelii secundum Joannem agitur de cibo qui dat vitam æternam, et sine quo vita æterna obtineri non potest: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis... non habebitis vitam in vobis.* At omnes qui panem eucharisticum manducant vitam æternam non habent, et multi qui illum non manducant, vitam æternam consequuntur: ergo ibi, sicut in parte præcedenti, de manducatione spirituali agitur.

*R. Dist. maj.* Agitur de cibo qui dat vitam æternam, etc., positis conditionibus requisitis, *concedo*; secus, *nego maj.* Etenim in divinis promissionibus, libertatem hominis supponentibus, quædam ordinariæ subaudiuntur conditiones omnino necessariæ; sic apud Lucam, XI, 10: *Omnis qui petit, accipit*; id est, si bene petat; apud Marc. XVI, 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*; supposito quod, Baptismo suscepto, fidem non amittat, aut alterius gravis peccati reus non fiat, aut penitentia remedio veniam obtineat, etc. Ita qui panem eucharisticum, per se gratiam producentem, cum dispositionibus requisitis manducat, *vivet in æternum*, modo in gratia per illum suscepta usque ad mortem perseveret.

Item verba, *nisi manducaveritis*, etc., exprimunt mandatum affirmativum: at de natura est mandati affirmativi ut non obliget pro semper, sed tantum in debitis circumstantiis: ergo nihil exigit ut de manducatione spirituali intelligantur. Imo in ea hypothesi eadem esset difficultas, siquidem infantes valide baptizati salvantur, et tamen spiritualis manducationis sunt incapaces. Ergo.

*Inv.* Christus ait, *ÿ. 64* ejusdem capituli, Capharnaitis respondens: *Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Ergo volebat ut ipsius verba præcedentia, non de manducatione reali, sed de manducatione spirituali, seu per fidem, intelligerentur.

*Nego conseq.* Nam 1<sup>o</sup> si Christus de manducatione spirituali tantum loqui voluisset, uno verbo scandalum Capharnaitarum sustulisset, dicendo verba quæ illis videbantur dura, sensu metaphorico esse accipienda; quod tamen non fecit, et passus est ut *multi discipulorum ejus abirent retro.* 2<sup>o</sup> Verba nobis objecta, *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*, non ipsam carnem Christi indicant, sed sensum quo accipienda essent præcedentia verba quibus audientes fuerant scandalizati, id est, ea secundum fidem et affectum cælestem intelligenda esse, non vero carnali ingenio, more Judæorum, vel de sanguinolenta manducatione cadaveris a spiritu separati, ut sibi fingebant Capharnaitæ, qui, audientes Christum dicentem, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, dixerunt: *Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandam?* « Acceperunt illud stulte, inquit S. Aug. » in Ps. CXVIII, carnaliter illud cogitaverunt et putaverunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo et daturus illis, et dixerunt: *Durus est hic sermo: ipsi erant duri, non sermo.* » Ergo.

*Obj. 2<sup>o</sup> contra argumentum ex verbis institutionis.* Christus, ostendendo panem, dixit: *Hoc est corpus meum*: atqui panis ipsius corpus esse non poterat, sed figura ejus: ergo.

*R. Dist. min.* Panis, remanens panis, ipsius corpus esse non poterat, *concedo*; in corpus ejus mutari non poterat, *nego min.* Itaque verba Christi efficiunt propositionem practicam quæ, vi supremæ potestatis, producit quod enuntiat. Si Christus, quando aquam vertit in vinum, ostendendo hydrias aqua plenas, practice dixisset, *Hoc est vinum*, certe non sensu metaphorico locutus fuisset: at eodem sensu protulit verba, *Hoc est corpus meum*. Ergo.

Eodem sensu intelligenda sunt verba quibus affirmatur Christum accepisse panem, benedixisse, fregisse, ac dedisse discipulis, etc.

*Notandum est* Christum, porrigendo panem consecratum, non dixisse: *Hic panis est corpus meum*, sed *hoc est corpus meum*. Pronomen autem *hoc*, græce τὸ αὐτό, et non



οὐκ, panem designare non potest, cum ejusdem non sit generis, sed vel corpus si adjective sumatur, vel rem præsentem et ostensam si substantive accipiatur, ut videtur accipiendum. Similiter, pro altera specie, Christus, ostendendo vinum, non dicit hoc, ne intelligeretur vinum, sed *hic est sanguis meus*. Quia græce οἶνος *vinum*, masculini est generis. Evangelista pronomen τούτο adhibet: idecirco cum vinum neutri sit generis, interpret latinus dicere debuit *hic est*. Unde in utroque textu, græco scilicet et latino, pronomen optime eligitur, ut præsentia realis exprimatur et sensus figuratus excludatur.

*Inst. 1º.* Christus, apud Lucam, xxii, 20, dixit: *Hic est calix Novum Testamentum in meo sanguine*. Unde sic: vox *calix* sumitur metaphorice pro re in calice contenta: ergo a pari, et vox *panis* metaphorice accipienda est.

*R. Nego conseq. et paritatem.* Nam 1º ex usu recepto et communi, vox *calix* pro liquore contento usurpatur, sicut apud nos dicitur *emporter une bouteille de vin, boire un verre de vin*, etc. Nusquam vero *panis* ad figurandum corpus Christi ex usu communi destinatus est. 2º Et si vox *calix*, pro more, metaphorice accipiatur, substantia sic expressa in sensu naturali intelligenda est, ut ostendimus, id est, de vino converso in sanguinem qui pro multis effundendus erat: ergo similiter et panis, etc.

*Inst. 2º.* Christus, apud Matth. xxvi, 29, post consecrationem subjunxit: *Dico autem vobis: Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*: ergo non sanguis Christi, sed vinum adhuc erat in calice post consecrationem.

*R. Nego conseq.* Sanguis enim Christi vinum appellatur 1º quia ex vino conversus est, et alibi in Scripturis res in aliam conversa primum nomen retinet; v. g., Exod. vii, 12, de virga Aaron in draconem versa legitur: *Sed devoravit virga Aaron virgas eorum*, etiam in serpentes versas; et apud Joan. ii, 9: *Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam*. 2º Quia sanguis Christi in sacramento Eucharistiæ speciem seu apparentiam habet vini, et in Scrip-

turis res sæpe designantur per eam quam habent vel habuerunt apparentiam: sic Deus, quia sub forma ignis apparuerat, *ignis consumens* vocatur, Deut. iv, 24: Abraham, angelos appellat homines, quia formam humanitatis induerant. 3º Plurimi, textum S. Matthæi cum simili textu S. Lucæ, xxii, 18, consecrationem panis et vini immediate antecedenti, conferentes, arbitrantur ibi non agi de calice consecrato; sed de altera calicis non consecrati distributione quæ in cœna ante institutionem Eucharistiæ locum habuit. Vide super hunc locum *Maldonat* in Matth., *Jansenium*, etc.

Calvinistæ multos alios obijciunt textus qui evidenter ipsorum systemati non favent et meras subministrant cavillationes, quibus solvendis non immorabimur.

*Solvuntur objectiones contra argumenta ex Patribus et præscriptione petita.*

*Obj. 1º.* Rarissima et obscura sunt veterum Patrum testimonia in quibus fit mentio Eucharistiæ: ergo certitudo præsentia realis ex illis deduci non potest.

*R. 1º. Nego ant.* Quædam enim retulimus testimonia in quibus præsentia realis non obscure docetur. Alia plura legi possunt apud *du Perron*, *Bellarmin*, *Witasse*, in opere dicto, *la Perpétuité de la foi*, etc.

*R. 2º. Nego conseq.* Etenim 1º si non multa ex primis temporibus referantur testimonia in gratiam præsentia realis, ratio est quia pauca supersunt horum sæculorum scripta, et nulla de illo dogmate movebatur controversia. 2º Mos erat in Ecclesia sacramentorum mysteria, præsertim ea quæ missæ Sacrificium et Eucharistiam respiciebant infidelibus et ipsis catechumenis non revelare, sed solis baptizatis, ne sacra hæc objecta in contemptum devenirent. Existentia hujus disciplinæ, traditione apostolica innixæ, ex pluribus constat monumentis, v. g., ex S. Ambros., lib. de Mysteriis, cap. 9: ex Julio I, Epist. 1, apud *Constant*; ex Innocentio I, Epist. 25, ibidem; et ex multis aliis testimoniis, ut videre est in opere dicto, *Discussion amicale*, t. 1.



Ex facto in Historia ecclesiastica relato, *Fleury*, l. 37, n. 17, videtur sacram Eucharistiam in septimo sæculo ab episcopo Londinensi, in Anglia, publice distributam fuisse populo, et principes paganos illius participes instar cæterorum fieri voluisse.

Sæpe igitur Patres de sanctissimo illo mysterio obscure loquebantur, ne illud intempestive manifestarent. Sic Origenes, contra Celsum, lib. 8, sacram Eucharistiam vocat *corpus quoddam sanctum*; et S. Aug., Epist. 140 ad Honoratum, cap. 19, ait: « Hinc gratias agimus Domino Deo » nostro, quod est magnum sacramentum in sacrificio » novi testamenti; quod ubi, et quando, et quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, invenies. »

Hæc autem sollicitudo tantum mysterium infidelibus occultandi fidem præsentia realis probat; si enim pastores Ecclesiæ hanc præsentiam non credidissent, nonne palam dicere debuissent Christianos verum Christi corpus non manducare et sanguinem ejus non bibere? Sic enim præcidissent in radice calumniam qua infideles eos inculpabant occidere scilicet in cætibus suis infantem, ut corpus ejus manducarent et sanguinem biberent: id nunquam tentaverunt; nec unum verbum contra præsentiam realem dixerunt; sed duntaxat, etiam inter acerrimos cruciatus, professi sunt tantum scelus falso sibi imputari, et in ritibus suis nihil reperiri quod sanctitate et pietate plenum non esset. « Quotidie obsidemur, inquit Tertull., Apolog. » cap. 7, quotidie prodimur: in ipsis plurimum cætibus » et congregationibus nostris opprimimur; quis unquam » taliter vagienti infanti supervenit? » Ergo.

*Inst.* Sæpe sancti Patres vocaverunt Eucharistiam simpliciter panem, panem sacrum, typum, figuram, imaginem, sacramentum corporis Christi: ergo ex eorum testimoniis præsentia realis concludi non potest.

*R. Nego conseq.* Omnes enim citatæ locutiones aliaque similes cum præsentia reali optime conciliari possunt. Eucharistia, etiam post consecrationem, dici potest 1º panis, quia ex pane conficitur et speciem retinet panis; 2º figura, imago, signum, representatio corporis Christi, quia sub

sacramenti specie latet corpus Christi, quasi sub involuero. Unde duplicis generis distinguendæ sunt figuræ, aliæ nempe vacuæ, ut panis et vinum quæ obtulit Melchisedech, manna in deserto, panes propositionis in antiqua Lege quibus figurabatur Eucharistia, et aliæ plenæ, quæ continent rem quam repræsentant: hujus generis sunt species eucharisticae. Non mirum ergo si Patres eas sæpe vocaverint figuram, typum, signum, etc., præsertim cum prævidere non potuerint Sacramentarios in decursu sæculorum eis abusuros, ut cavillationes adversus præsentiam realem congererent.

Item sancti Patres hæc affirmare potuerunt, absque læsione catholici dogmatis:

1º Corpus Christi idem non esse in Eucharistia ac fuit in sinu B. Virginis, in vita, in cruce, hoc de solo statu ejus intelligendo;

2º Illud spiritualiter manducandum esse, id est realem ejus susceptionem absque dispositionibus internis non prodesse, sed e contra graviter obesse;

3º Panem benedictum non esse corpus Christi, illud intelligendo de pane oblato, sed nondum consecrato, vel de eulogiis seu pane benedicto qui omnibus in signum unionis distribuitur, et olim solis non communicantibus dabatur: lato sensu dicitur sacramentum vel sacramentale;

4º Si quandoque dicant corpora nostra corpore Christi nutriri, vesci, augeri, etc., id eo accipiendum est sensu quo corpus Christi suscipitur, manducatur, tangitur, frangitur, portatur, etc., id est ratione specierum quibus involvitur.

His præmissis, textus SS. Patrum a Calvinianis nobis objecti facile explicantur; v. g., sequentes:

1º Tertull. adversus Marcionem, l. 1, cap. 14: « Ille » quidem (Christus) usque nunc nec aquam reprobavit » Creatoris qua suos abluit; nec oleum quo suos ungit, » nec mellis et lactis societatem qua suos infantat; nec » panem quo corpus suum repræsentat; etiam in sacra- » mentis propriis egens mendicitatibus Creatoris. » Item, ibid., l. 3, cap. 19: « Sic Deus in Evangelio quoque vestro



» revelavit, panem corpus suum appellans, ut et hinc jam  
 » eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cujus  
 » retro corpus in panem Prophetas figuravit, ipso Domino  
 » hoc sacramentum postea interpretaturo. » Propheta hic  
 indicatus est Jeremias, qui, XI, 19, de Christo prophetans,  
 dixit: *Mittamus lignum in panem ejus*, videlicet in corpus.

2<sup>o</sup> S. Ambros. de Officiis, l. 1, cap. 48: « Imago est in  
 » Evangelio, veritas in cœlestibus... hic in imagine (*offer-*  
 » *tur Christus*), ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis  
 » quasi advocatus intervenit. » Et de Sacramentis, lib. 4,  
 cap. 4: « Similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus  
 » horror cruoris sit, et pretium tamen operatur redemp-  
 » tionis. » Conveniens quippe erat ut corpus et sanguis  
 Christi in imagine et sub aliqua similitudine nobis daren-  
 tur, et non in naturali statu qui horrorem excitasset.

3<sup>o</sup> S. Aug. Serm. 272, ad infantes baptizatos loquens,  
 ait: « Quod videtis, panis est et calix; quod vobis etiam  
 » oculi vestri renuntiant: quod autem fides vestra postu-  
 » lat instruenda, panis est corpus Christi, et calix sanguis  
 » Christi. Quare... ergo in pane? Nihil hic de nostro offe-  
 » ramus, ipsum Apostolum identidem audiamus, qui, cum  
 » de isto sacramento loqueretur, ait: *unus panis, unum*  
 » *corpus, multi sumus*; intelligite et gaudete; unitas, veri-  
 » tas, pietas, charitas. » Probat S. Doctor symbola eucha-  
 ristia sapienter in pane et vino constituta fuisse: ipsius  
 autem verba a Sacramentariis allegata magis nobis prosunt  
 quam obsunt.

*Obj.* 2<sup>o</sup>. Nonum et decimum sæculum densissimis tene-  
 bris erant involuta: ergo non repugnat fidem Ecclesiæ  
 circa naturam Eucharistiæ eo tempore mutatam fuisse.

*R. Nego conseq.* Nam 1<sup>o</sup> multa existunt Patrum et Doc-  
 torum testimonia antecedentia, quæ præsentiam realem  
 elare expriment. 2<sup>o</sup> Licet non immerito dicatur illa sæcula  
 ignorantia tenebris fuisse obsita, plurimi tamen tunc flo-  
 ruerunt summi pontifices, episcopi et abbates sanctitate  
 et scientia conspicui, inter quos S. Odo, S. Mayeulus et  
 S. Odilo, abbates Cluniacenses, S. Dunstanus et S. Odo,  
 archiepiscopi Cantuarienses, Hincmarus, archiepiscopus

Rhemensis, Fulbertus, episcopus Carnutensis, Paschasius  
 Radbertus jam citatus, Rabbanus, archiepiscopus Mogun-  
 tius, Ratramnus, monachus Corbeiensis, etc. Tres poste-  
 riores de sacra Eucharistia scripserunt, et præsentiam  
 realem agnoverunt, saltem Paschasius et Rabbanus; de  
 Ratramno magis dubitatur; plerique tamen affirmant  
 obscuriora ipsius verba cum fide præsentia realis conci-  
 liari posse. Vide P. Mabillon, Annal. Bened., t. 3. 3<sup>o</sup> Du-  
 rantibus his sæculis, multa celebrata sunt concilia inter  
 quæ octavum generale; error Prædestinationarum pluries  
 damnatus est: ergo similiter error circa Eucharistiam  
 proscriptus fuisset. 4<sup>o</sup> Eo tempore celebres floruerunt  
 scholæ, v. g., Turonibus, Carnuti, Fuldæ, in monasterio  
 Beccensi, etc. Si præfata mutatio locum habuisset, num-  
 quid magistri et discipuli eam non advertissent. 5<sup>o</sup> Plures  
 existebant sectæ in Oriente, ab Ecclesia Romana separate,  
 quæ hujus generis innovationem certe non admisissent:  
 attamen omnes præsentiam realem agnoscunt: ergo.

*Inst.* Usus communicandi sub utraque specie, praxis  
 utendi pane fermentato ad consecrationem, mos jejunium  
 ante vespas non solvendi, insensibilem et tamen gravem  
 subierunt mutationem, ut ex hodierno usu patet: ergo a  
 pari et fides circa Eucharistiam mutari potuit.

*R. Nego conseq. et paritatem.* Rationes disparitatis sunt  
 1<sup>o</sup> quod in exemplis allatis ageretur tantum de disciplina  
 quæ, juxta omnes, varias subire potest mutationes, non  
 ita fides circa dogma catholicum; 2<sup>o</sup> vestigia istiusmodi  
 mutationum sunt manifesta; assignatur tempus quo vetus  
 disciplina adhuc vigeat, loca in quibus etiam nunc exstat,  
 nempe apud Græcos qui in pane fermentato consecrant,  
 sub utraque specie communicant, et jejunium ante ves-  
 peras non solvunt. Nihil horum existit relative ad dogma  
 præsentia realis: ergo nulla est paritas.

*Solvuntur objectiones.*

*Obj.* 1<sup>o</sup>. Præsentia realis evidenter repugnat: ergo ad-  
 mitti non potest.

*R. Nego ant.* 1<sup>o</sup> Enim quod est evidens, cunctis homi-



nibus ratione præditis et in materia versatis, tale videtur : at innumeri homines doctissimi et in scientia theologica versatissimi non judicarunt præsentiam realem evidenter repugnare, siquidem eam firmiter crediderunt. 2° Ideo affirmatur præsentiam realem repugnare, quia modus ejus existentiae non percipitur : sed multa sunt in mundo quorum certissima est existentia, licet modus existendi nos prorsus lateat, ut in Tractatu de Vera Religione ostendimus : ergo *a pari*, etc. 3° Quod Deus certo revelavit, repugnare non potest : atqui præsentiam realem Deus certo revelavit, ut *invicte probavimus*, licet modum divinæ illius præsentiae non manifestaverit : ergo quælibet rationis repugnantiae statim repelli debent tanquam meræ argutiæ.

*Inst.* 1°. Deus revelare non potest absurda : atqui dogma præsentiae realis multa complectitur absurda, v. g., idem corpus esse simul in cælo et in terra, in omnibus hostiis consecratis et in singulis hostiarum partibus, corpus extensum fieri simplex vel adeo parvum ut sensibus sit impervium. Ergo.

*R. Nego min.* Demonstrandum enim foret dogma præsentiae realis absurda continere : porro adversarii id nunquam demonstrabunt. Ad hoc quippe necesse esset ut accurate determinarent quid sit materia, quid sint loca, quid Deus possit circa præsentiam corporum in locis. Fieri quidem non potest ut corpus naturale reducat, servatis legibus physicis, ad minimum punctum, vel in pluribus simul adsit locis : sed quis negabit hoc omnipotenti Deo possibile esse ? Cunctis igitur impossibilitatibus quas fingunt hæretici et increduli semper *invicte* respondemus, dicentes : Nescitis quid sit corpus in ordine supernaturali, corpus glorificatum, corpus in statu sacramentali ; locorum naturam, materiae essentiam ignoratis : qua ergo fiducia affirmare audetis præsentiam realem potentiae Dei repugnare ?

Certum est Deum omnibus locis et totum singulis locorum partibus simul præsentem esse, animam nostram cunctis corporis nostri partibus integram præesse, vocem coram multitudine prolatam in auribus omnium audien-

tium eodem instanti totam esse : quomodo hæc fiant, non percipimus, et tamen ea negari posse, propter obscuritatem qua involvuntur, non arbitramur : ergo similiter præsentiam realem negare non debemus, ex eo quod ratio nostra ipsius modum non percipiat.

Quædam ad eam explicandum prodierunt systemata.

1° *D. de Lignac*, qui successive fuit apud Patres societatis Jesu et apud presbyteros Oratorii quos etiam deseruit, in opere dicto : *La présence corporelle de l'homme prouvée possible en plusieurs lieux à la fois par les principes de la saine philosophie*, fingit hypothesim in qua corpus Christi ex Maria natum et crucifixum, idem in multis locis simul esse possit.

Supponit 1° eandem animam multis corporibus individuè simul uniri posse, sicut multis partibus ejusdem corporis præest. Supponit 2° ex omnibus partibus quibus corpus Christi conflatur, quasdam partes omnipotentiae Dei extrahi, non per sectionem, sed per accuratam *deduplicationem* : tunc habebitur corpus organicum, animæ et divinitati Christi unitum, ex Maria natum, etc. Porro hæc *deduplicatio* ope divina iterari potest usque ad infinitum, et sic præsentia corporis Christi multiplicari ratione locorum.

2° *D. de Pressy*, Bononiensis episcopus, alteram refert hypothesim quæ compendiose sic se habet : Supponitur in corpore Christi innumera existere corpuscula invisibilia, organis instructa, animæ Christi et divinitati æqualiter unita, licet singula sint completa. Supponitur iterum hujusmodi corpuscula, per singulas hostias et singulas hostiarum partes ad exhibendum corpus Christi idoneas, in ipso consecrationis momento distribui. In hac suppositione, dici potest de singulis hostiis consecratis et singulis earum partibus sensibilibus : Hoc est verum Christi corpus, ex Maria natum, una cum anima Christi et divinitate Verbi.

3° *P. Maignan*, ordinis S. Francisci a Paula, contendens corpus Christi in Eucharistia existere modo insensibili, facile inde concludebat illud in multiplicibus locis si-



mul existere posse (*Philosophia sacra*). Vid. quæ infra de eo systemate dicentur, p. 41.

4<sup>o</sup> *Leibnitz* notat quidem quod si invictis argumentis demonstrari posset corporis essentiam in extensione consistere, fatendum esset unum corpus in pluribus locis simul existere non posse, neque etiam per omnipotentiam Dei. At contendit contrarium solide ostendi posse. Si autem per omnipotentiam Dei corpus sine extensione ac proinde *sine spatii determinati implemento* existere possit, nihil obstat quominus pluribus locis simul respondeat per eam actionem vel relationem quæ apud ipsum distantiam constituit. (*Système théologique*, p. 222 et suiv.)

Minime tamen illi auctores naturam mysterii explicare sibi proponunt, sed tantum ostendere illud rationi non evidenter repugnare: si enim humanum ingenium monstrare valeat idem corpus in multis locis a se longe dissitis simul existere posse, *a fortiori*, infinita Dei sapientia innumeros excogitare potest modos hoc ineffabile adimplendi mysterium.

Supremæ igitur auctoritati Dei præsentiam realem certo revelantis plenissime fidentes, hoc venerandum et sanctissimum dogma immobili fide teneamus, de modo possibilitatis ejus nihil curantes, neque de variis incredulorum dictariis. In mente habeamus sequentia S. Aug. verba ad philosophos æterna damnatorum supplicia negantes directa, quæ præsentia realis adversariis pariter conveniunt, de Civitate Dei, l. 21, cap. 3: « Quod si respondetur... » nullam esse carnem quæ dolere possit morique non possit, quid aliud dicitur, nisi quod sensu corporis homines et experientia collegerunt! Nullam namque carnem nisi mortalem sciunt, et hæc est eorum tota ratio, » ut quod experti non sunt, nequaquam esse posse arbitrentur. »

Quando igitur Calvinistæ et increduli nobis objiciunt in nostra doctrina corpus Christi manducari, conculcari, corrumpi, simul quiescere et moveri, seipsum portasse et manducasse in cœna institutionis, etc., hæc omnia et alia quæcumque ejusdem generis sola rei expositione, prout

fecimus, evanescent. Corpus Christi in statu sacramentali idem est quidem numerice ac fuit in statu naturali, sed non ejusdem est conditionis, ac proinde ab uno statu ad alterum non valet conclusio: attamen omnia adversariorum objecta ex ratione petita, hoc vitio fundamentali laborant. Ea ipse solvit *Leibnitz*, licet Protestans, in libro cui titulus: *Exposition de la doctrine de Leibnitz*. Ergo nullius sunt roboris.

*Gratias igitur Deo super inenarrabili dono ejus*, II Cor. IX, 15; *Jesus... cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, Joan. XIII, 1; *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus; escam dedit timentibus se*, Psal. CX, 4, et concil. Trid., sess. 13, cap. 2. Non solum gratia sua animas nostras reficere, sed et carnem nostram sua sanctissima carne mirabiliter nutrire voluit, sicque futuræ resurrectionis pignus et semen immortalitatis nobis præstitit.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### DE MODO PRÆSENTIÆ REALIS.

Dogmate catholico adversus Calvinistas stabilito, omnes fatentur quamdam per consecrationem fieri mutationem, et Christum cum materia vel sub speciebus materiæ fieri præsentem: sed qua mutatione id contingat, quo modo Christus sit sub speciebus, quanto tempore et quo cultu sit prosequendus inquirendum est. Itaque in quintuplici paragrapho dicemus, 1<sup>o</sup> de transsubstantiatione; 2<sup>o</sup> de natura specierum post consecrationem; 3<sup>o</sup> de modo quo Christus est sub speciebus; 4<sup>o</sup> de duratione ejus præsentia sub iisdem speciebus, et 5<sup>o</sup> de cultu ei debito in eo statu.

#### § I. — De transsubstantiatione.

Calvinistæ et increduli transsubstantiationem a præsentia reali non sejungunt, et fatentur, una admissa, alteram esse admittendam.

Lutherani, e contra, qui vere sunt Lutherani, non vero qui, sub nomine Lutheranorum, sunt Rationalistæ, præ-



sentiam realem semper retinuerunt; sed mysterium transsubstantiationis pertinaciter negant, voluntque Christum esse in Eucharistia vel per *impanationem*, vel per *consubstantiationem*.

Impanatio, si existeret, esset unio hypostatica Christi cum pane, sicut unio Verbi divini cum homine; ita ut, quemadmodum recte dicitur de Christo, *Hic homo est Deus*, sic pariter recte diceretur de pane consecrato, *Hic panis est Deus*. Quosdam Berengarii discipulos hanc sententiam habuisse creditur, et inter Lutheranos solus Oziander eam docuit.

Vide, circa *impanationem*, Bossuet, *Hist. Variat.*, l. II, n. 33 (t. XIX, p. 81).

Alii vero Lutherani post antesignanum suum admittunt consubstantiationem, quæ in eo sita est, ut corpus Christi, vi consecrationis, simul cum pane, vel sub pane, vel in pane existat. Zuinglianis autem objicientibus corpus Christi in cælo simul et in Eucharistia existere non posse, respondit Lutherus illud hypostatice unitum Verbo, ubique præsentem, etiam ubique existere. Qui hanc amplexi sunt sententiam, ut Brentius, Illyricus et alii in decimo sexto sæculo, dicti sunt *Ubiquistæ*. Post Lutheri mortem, discipulie jus et præsertim Melancthon hanc doctrinam generaliter improbaverunt.

Anglicani, circa præsentiam realem valde anxii, negant transsubstantiationem.

Omnes Catholici velut dogma fidei tenent Christum esse in Eucharistia per transsubstantiationem, id est, per substantiarum panis et vini conversionem in corpus et sanguinem ejus.

## PROPOSITIO.

*Christus est in Eucharistia per transsubstantiationem.*

*Prob.* Illa propositio est de fide, probatur Scriptura sacra et traditio. 1° *Est de fide*. In synodo Romæ, anno 1079, contra Berengarium sub Gregorio VII celebrata, definitum est *panem et vinum substantialiter converti in corpus et sanguinem Christi*; apud Labbe.

Concilium Lateranense IV, anno 1215 celebratum, ait, canone 1, Labbe, t. 11, part. 1: « De Christo cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis » et vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in » corpus et vino in sanguinem potestate divina. »

Concilium Constantiense, præscribens ut quilibet de erroribus Wiclefistarum suspectus interrogetur, inter proponendos articulos sequentem exprimit: « Utrum credat » quod, post consecrationem sacerdotis, in sacramento Altaris, sub velamento panis et vini, non sit panis materialis et vinum materiale, sed idem per omnia Christus qui » fuit in cruce passus, et sedet ad dexteram Patris. »

Concil. Florent. in Decreto ad Armenos: « Ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi et substantia vini in sanguinem convertuntur. »

Tandem concil. Trid., sess. 13, can. 2: « Si quis dixerit » in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam » et singularem conversionem totius substantiæ panis in » corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem » conversionem catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat: anathema sit. » Ergo 1°.

2° *Prob. Scriptura sacra*, nempe verbis institutionis: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus*. Hæc enim verba, ex dictis in primo articulo, non figuratam, sed realem significant præsentiam: unde intelligenda sunt, vel de *impanatione*, vel de *consubstantiatione*, vel de *transsubstantiatione*: atqui duo priora dici nequeunt.

1° Intelligi non possunt de *impanatione*. Posita enim absurda *impanationis* hypothesi, panis et corpus, vinum et sanguis Christi hypostatice unirentur, sicut divinitas et humanitas in Christo: utraque igitur substantia simul existeret sicut utraque natura, divina et humana, in Christo: atqui verba Christi, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus* utramque substantiam non exprimunt, ut patet. Absurde dictum fuisset, humanitatem Christi os-